



Maximilianus natus fuit in Celeia nobili ciuitate Pannoniæ, quæ hodie Cilia dicitur, ex magnis & claris parentibus. Ab ipsis filius magna pietate à teneris annis in fide Christiana, sub Oratio preceptore, optimè educatus & instructus fuit. Cum autem 14 annos ageret, patrem amilis, & sexto anno post etiam matrem. Maximilianus itaque utroque parente orbatus, familiam quam numerosam possedit manumisit, & cuique de praedijs suis, iuxta suam conditionem distribuit, reliqua egenis contulit. ipse autem uitæ ac morum sanctitate conspicuus, totus orationibus, uigilijs, & ieiunijs fuit deditus. Postquam uero S. Quirinus in Aquileiensem sedem esset uocatus, Maximilianus contra suam uoluntatem Laureacensis presul ordinatus fuit. ubi etiam omnibus charis diu Christi ueram doctrinam eius regionis incolis communicauit. Tandem uero cum Tyranni Romæ contra pios sauerent, ipse eorum furorem & rabiem contempsit, atque in urbem profectus, fratres confirmauit, & à Sixto Pontifice benedictionem accepit. Domum reuersus etiam in patriam sese contulit, & Cileiæ incolas quotidiana uerbi Dei prædicatione recte instituit. Sed cum Numerianus Imperator, post Carum patrem & fratrem Carinum, quendam Eulalium præfectum Cileiam misisset ut Barbarorum insultus compesceret, is edicto cauit ut omnes statu die Deo Marti ob uictoriam adipiscendam libarent. Vnde multi metu Tyrannidis etiam sacrissimis iniciati in templum conuenerunt. At Maximilianus Episcopus solus, quasi (omnibus huius mundi bonis contemptis) præfectum increpat, & unum Deum Iesum Christum inuocandum re & uerbo fatetur. Cum etiam Tyrannus hunc suis blanditijs a suo proposito abducere uellet, a pio presuli acris increpatur. Saevus itaque præfectus bile commotus extra muros Celeiae diuum obtrucat, id quod factum est anno salutis per Christum partæ ducetimo octogesimo octauo, quum uiginti annis Ecclesiæ Laureacensi præfuisset. Ab hoc Martyre postea Fridericus tertius Imperator (qui Cileiæ ex maximo periculo liberatus fuit) suum filium Maximilianum postea Cæfarem denominauit. Cuspin, in Austria, & in uita Max.